Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 709
Quelle:
Copyright:



VI. *fol.* 79. *In die corporis Christi sermo.* Initium: *Inmensa diuine largitatis beneficia exhibita populo christiano* &c. Primum *Lectiones* sunt *Thomae Aquinatis* de hoc Festo, sive *Opusculum* ejus LVII. T. XVII. Edit. *Rom.* 1570. *fol. 40. f.* His dein adnectitur Cento e Patribus de Eucharistiae figuris in Lege veteri, qui definit in Recentioris cujusdam institutionem practicam de usu S. Caenae hoc fine: *ad montem uirtutis uiatores adducens, ad quem nos perducat* &c.

VII. *fol.* 81. p. 2. *In diuisione Apostolorum.* Initium: *Numerus apostolorum duodenarius sub multis sacre scripture figuris est signatus* &c. Materia potius congesta pro Sermone, quam Sermo formatus. Coenobitam arguunt multa de *Regulis*, de *Praelatis* &c. Inter alia ridiculum: *Quidam ueniunt ad montem gelboe id est ad ecclesiasticam dignitatem in* nominatiuo casu. *ut qui nominentur et habeant famam longam et latam. Quidam in* genitiuo: *vt qui traxerunt ortum ex nobili genere. Quidam in* datiuo. *ut qui ascendunt per symoniacam prauitatem. Alii in* accusatiuo. *ut illi qui honestam personam impugnant ut cedat. Alii in* ablatiuo. *ut cum iuste adeptus deicitur. et alter minus iuste creatur. Alii in* vocatiuo. *et hij beati ascendunt* &c. Digna, quibus *Oliv. Maillardus*, aut *Abrah. a S. Clara* invideant.

VIII. *fol.* 84. p. 2. Resumuntur *Bernhardi Sermones.* Primus: *de Angelis.* Initium: *Angelorum hodie memoria celebratur* &c. Habitus in Festo S. *Michaelis* legitur edit. *suprac.* T. III. *col.* 1019. *Idem de Angelis.* Initium: *Audistis fratres euangelicam lectionem* &c. *col.* 1021. *Bern. de omnibus sanctis.* Initium: *Festiuitatem hodiernam sanctorum omnium* &c. *col.* 1023.

IX. *fol.* 91. p. 2. *Sermo in conceptione marie non Bernardi.* Non certe, ut qui Virginem sine labe originali conceptam propugnat. Incipit: *Celeberrima enim sollempnitas conceptionis sancte dei genitricis alme uirginis marie ab eterno in mente fecundissima summi opificis singulariter predestinata — multis erat temporibus occultata sed multis miraculis desuper reuelata.* Adducit porro Miracula illa de *Helsino* Abbate et duobus *Clericis*, quae depromsit ex *Epistola* sive *Sermone Anselmi Cantuar.* quem *Gerberonius* inter Fictitia rejecit in edit. *Opp. Anselmi Paris.* 1721. *append.* p. 505. in *Censuris* praeviis contendens, *Anselmum* in contraria fuisse sententia. At vero eum Festo conceptionis saltem favisse, vel e *Cap.* 2. Concilii *Londin.* a. 1328. celebrati liquet, ubi legis: *venerabilis Anselmi prædecessoris nostri, qui post alia quædam ipsius antiquiora solemnia Conceptionis solemne superaddere dignum duxit, vestigiis inhærentes* &c. Quid, quod e verbis ejus in *Tract. de Conceptu Virg. et orig. Pecc.* c. 18. *Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo*